

fallendum homines excogitatæ. Suprà enim jam ipsorummet declarationem vocabuli hominis audivimus, nimirum, quòd non hominem ex Mariâ assumptum, sed λόγον intelligent, hoc modo: *Homo est Deus, id est, Filius Dei sustentans humanam Naturam, est Deus.* Perinde ac si controvertatur de Arianismo, an Filius Dei, qui in tempore assumpsit carnem, sit Deus? & non potius, an homo sit Deus? Ideo quidam eorum dicunt, esse hanc Propositionem tropicam, & nō secundūm literā intelligendā, sicut sonet, sed ad tropū confugiendū, quilateat in Vocabulo *Homo*. Quò respiciunt Neo-stadienses, scribētes: *Etsi homo iste, partim reipsā (si nimirūm pro vocabulo hominis substituatur Vocabulū Dei) partim nomine tenus sit Deus (si in propriā & nativā significatione usurpetur pro homine, cōstante corpore & animā rationali) tamen humanitas ipsa neg̃ reneg̃ nomine Deus est.* Et rursum: *Homo Christus substātialiter & realiter est Deus, respectu Deitatis suæ: sed respectu hu- manitatis suæ neg̃ substantialiter, neg̃ accidentaliter, ac proinde nō realiter Deus est.* Et multò dilucidius Beza hac de re loquitur, quando inquit: *Si dicimus, illū hominē esse Deum, intelligimus sub vocabulo hominis, Deitatē vel Filiū Dei, hoc modo: Filius Dei, qui unitus est humanitati, et Deitas ipsius, est Deus. Deitas. n. humanitati non est communicata.* Hęc velim Cordatū Lectorem. 1. no-tare, contra impudentiā famosū Libelli Germanici, cōtra Trium-phū Wirtemb. editi, in quo centies ferè negatur, quòd Calviniani ullibi senserint aut scripserint, Naturā per Allœos in pro alterā sumendā. 2. Cōferātur jam inter se Bez̃ & Parei verba: Hic dicit: falsam esse accusationem, quòd homini Christo detrahāt Deitatē. Ille inquit: quando dicitur: *Homo est Deus, idem esse, ac Fili⁹ Dei seu Deitas ipsi⁹ est De⁹.* Intelligis ne jam, pīe Lector, quòd (se-cundum Calvinianos) si in ista Propositione (*homo est Deus*) vox hominis in suā propriā significatione retineatur, homo non sit Deus, nisi nominetenus seu verbaliter tantū? Quin imò tali homini non esse communicatam Deitatem?

Idipsum etiam Pareus haud obscurè ostendit, quando in- Iren. pag. 265.  
quit: *Hominem esse substantialiter Deum.* Jam vero nihil sub-

Cccc 2 stan-

Admon. Neo-  
stad. pag. 67. 68.

Ibid. pag. 67.

Colloq. Momp.  
pag. 294.

Vide ibi pag.  
225. 226. 229.  
228.